



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**VRBIS|| HIEROSOLIMÆ|| QVEMADMODVM EA CHRISTI||
tempore floruit, & suburbanorum eius breuis.||
descriptio.||**

**Adrichem, Christiaan van
Coloniae Agrippinae, 1585**

VD16 A 298

Alivd Franconis Estii Gorcomij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64394](#)

ALIVD FRANCONIS ESTII
Gorcomij.

Antiquæ Solymæ, terra decora alta Syriæ,
 Mœnia, fatidicis muliū cantata prophetis,
 Isacidū quondam solia augustissima regum
 Lector amice vides, solerte renata labore,
 Inq; recente typo formam referentia priscam;
 Mœnia finitimas non tantum nota per oras,
 Sed quacunq; patet terrarum maximus Orbis,
 Quà Sol mane diem currū flammante reducit,
 Quàq; iubar fessus sero iam vespere condit,
 Amphitheatralis minor ut sit gloria famæ,
 Ac operum est olim quicquid mirata vetustas.
 Mœnia primæ ui post impia facta parentis
 In quibus affulcit nostris lux prima tenebris,
 Et rediuiua salus ægris mortalibus orta est,
 Morte palæstrites ubi victa, liuida Christus
 Courruuit pedibus malefundi colla Cerastæ,
 Et Phlegetontai spolijs gauisus Auerni
 Stellantis limen nobis reseruit Olympi.
 Haud impunè tamen Stygijs lymphata Chelydris
 Ausa immane nefas vrbis gens incolæ sanctæ,
 Demissam cælo sobolem, pia pignora Patris,
 Spem Diuūm atque hominum, dum funere multat acerbo
 Innocuam, & solum nullo, nisi crimine nostro.
 Prodigij sed enim subitò cælestibus acta
 Vindicis ingentem præfensit Numinis iram:
 Vedit per nubes acies certare cruentas,
 Atque ensem radiare supra delubra minacem,
 Plurimæq; instantis non vana ostenta ruina.

Arv. 4

Armis Troiungenūm donec vastata Quiritum,
 Pressa fame, quassata a malis, exhaustaq; tabe
 Aeris haud sani, plebis procerumq; caterua
 Occidit, ac tandem sacra subuersa Sionis
 Illa cadit moles, saxis & saxa reuulsa
 Ardua demissis equareunt culmina terris,
 Vicitq; Romanas timuit Iudea secures.
 Vix Solymæ veteris quicquam nisi nobile restat
 Nomen, & ad seros prorepens fama nepotes.
 Non tulit immenso Christi perculsus amore,
 Egregiusq; animi, Batavae telluris alumnus
 Christiades Adrichom, proauito stemmate clarus.
 Tam sancti veneranda loci vestigia, rerum
 Tantarum monumenta premi sub nubibus atris,
 Atque oculis animisq; simul subducier ipsis.
 Ast ut apis flores aut Hybla, aut dulcis Hymetti
 Peruolitans hic inde legit, conditq; operosis
 Mella savora fauis, nulliq; imitabile donum
 Fabricat, & paruis molitur maxima cellis:
 Sic passim veterum delibans scripta virorum,
 Praclarum meditans opus, Diuina coëgit
 Tot portenta simul parua cœlata tabella.
 Ut fora cum vicis, Regumq; palatia, turres,
 Templaq; mittamus summo fundata Tonanti,
 Mirandum Salomonis opus, terrisq; stupendum;
 Gesta suo quecunq; loco, numerisq; notata,
 Tam clara sub luce patent, sic ordine certo,
 Ut fieri non duntaxat cerni, omnia credas.
 Hic videat pius extremæ cœnacula mensa,
 Æternog; suis dantem se fædere Christum.
 Hic videat funestus ubi, dirisq; sacratus,
 Prodidit in fontem Dominum malefidus Iudas.

Hic

Hic Anna, Caiphæq; domum, ludibria, flagra,
Quicquid & infesta sub plebe, & iudice passus
Non aequo, assertor lapsus spesq; vnic a nostri;
Quaq; viam fecit sub pondere pressus iniquo
Baiulus humani sanctissimus ille reatus;
Quoq; loco (bonus ab quis parcat fletibus) heu se
Impendit nobis, & mortem morte peremit,
Carceris & nostri rupit retinacula victor.
Chare Adrichom, Delphis non inficiande paternis,
Quæ precor ô tantarum opifex tibi præmia rerum?
Laus quando mundana tibi, tibi munera sordent?
Ipse tibi merces meritorum, & gloria fiat,
A quo nomen habes, pro quo tot adire labores
Sex lustris tibi dulce fuit, ceu præpete penna
Cuncta Palæstinæ ut vigili loca mente pererrans;
Lustrares animo, mira q; industrius arte
Colles & Libani, & semper fragrantis Idumes,
Melle solum manans, & lacte fluentia regna,
Abrami prisca promissa Nepotibus arua.
Ipse inquam merces fiat, qui se tibi totum
Protensis manibus, nec parco sanguine fusō
Tradidit, ipse iterum calo rutilante propinet
Se tibi, & æterni sociatum vinculo amoris
Hæredem adsciscat patrū per sæculare regni.

ALIVD